



## I. N. I. A.

### I.



Praeclara et laudabilia in rempublicam christianam eorum sunt merita, qui de rerum in ecclesia et scholis collapsarum instauratione solliciti fuerunt, eamque pro viribus promouerunt. Qualia et quanta MARTINI LVTHERI et PHILIPPI MELANCHTHONIS in ecclesiam et Scholas sint merita, historia repurgatorum ab iis sacrorum satis superque testatur, nec quisquam, nisi ingratus et turpi inuidia occoecatus inficias ibit.

II. De restitutione christianismi et reipublicae christianae integros libros extare, nouimus. Neque vero, illos vno eodemque animo et fine scriptos esse, apparet. Bono animo et fine quosdam exaratos esse, alios pessimo, ex lectione eorum patet. Quanto christianorum lectorum commodo illi editi sunt in publicum, tanto hi eorum damno.

A 2

III. Ad